



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XXXIII. Decretum recitationis Officii S. Cajetani Thienæi Theatinorum  
Fundatoris ab omnibus utriusque sexus ad recitationem obligatis in die 7.  
Augusti de Communi Confessoris non Pontificis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)



Decretum  
irritans.

§. 14. Decernentes easdem præsentem Literas semper firmas, & validas existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis  
derogat.

§. 15. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Confraternitatum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides tran-  
sumptorum.

§. 16. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Edit. 11. Feb.  
1673. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Februarii 1673. Pontificatus nostri anno tertio.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. in lib. Brevium mensis Febr. part. utraq. fol. 628.

XXXIII.

Decretum recitationis Officii S. Cajetani Thienæi Theatinorum Fundatoris ab omnibus utriusque sexus ad recitationem obligatis in die 7. Augusti de Communi Confessoris non Pontificis.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio per ineffabilem Divinæ Clementiæ abundantiam evecti, Sanctorum in Cælis cum Christo Jesu Domino nostro regnantium, illorum præsertim, qui in diebus peregrinationis suæ salubrium fuerunt auctores Institutorum, quibus Ecclesia Dei cum ingenti animarum fructu multipliciter decoratur, cultum, & venerationem in terris promovere studemus, sicut ad Omnipotentis Dei, qui in Sanctis suis honoratur, gloriam, fideliumque ædificationem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

S. Cajetanus  
catalogo San-  
ctorum ad-  
scripsit.

§. 1. Itaque eximia Sancti Cajetani Thienæi Congregationis Clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum Fundatoris, quem nos Sanctorum Catalogo solemniter Ritu adscripsimus, in Ecclesia Dei merito, pio, peculiarique devotionis affectu recolentes, sinceramque nostram in eum pietatem aliquo honorum incremento magis testatam esse cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, ut de eodem S. Cajetano quotannis die 7. Augusti cele-

bretrur Festum cum officio de Communi Confessorum non Pontificum sub Ritu Semiduplici de præcepto ab omnibus Christianis tam secularibus, quam regularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, & sub eodem Ritu in Calendario Breviarii Romani apponatur.

Contrariis  
derogatio.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique locorum in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Ed't 27. Mar.  
1673. An. 3.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Martii 1673. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Præceptum in Carmelitas Discalceatos Congregationis Hispaniæ, ne audeant Conventum ædificare in Oppido de Bilbao Calaguritana Diocæsis.

XXXIV.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

NUPER pro parte dilectorum filiorum Magistratus, & Populi, ac Capituli, & Beneficiorum, necnon Fratrum Conventuum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, & Eremitarum S. Augustini Oppidi de Bilbao Calaguritana Diocæsis Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dilecti pariter filii Fratres Carmelitæ Discalceati Congregationis Hispaniæ, occasione legati cujusdam Domus, horti, & furni in dicto Oppido existentium sibi a quond. Maria Diaz de Aguirre anno 1628., ad effectum erigendi ibidem novum Conventum eorum Religionis, facti, tentaverant diversis vicibus, nempe annis 1619., & 1629. ac 1665. habere desuper necessarium consensum Civium, & Incolarum, ac Ecclesiarum Parochialium dicti loci, eisque semper fuerat denegatus ex eo, quod in eodem Loco, ejusque Suburbii respectively aderant duæ Parochiales Ecclesiæ cum 24. Beneficiatis participantibus, & totidem expectantibus, quinque Conventus Regularium, & Mendicantium, quorum duo erant Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, Septem Monasteria Monialium, & sexdecim Confraternitates Laicales, ac Hospitalia pauperum, & horum ratione prætenso fundatio hujusmodi expresse prohibita fuerat, & quia dicti Fratres Carmelitæ aperuerant de facto Oratorium, in quo Missam celebrabant, mandatum fuerat illud claudi, prout clausum fuerat.

Exordium a  
narrativa facti.

§. 1. Sed his non obstantibus iidem Carmelitæ nulla facta mentione præmissorum, imo ex falsa narratione, quod a Civibus, & Incolis dicti Loci de Bilbao desideraretur dicta nova fundatio, & quod redditus ex dicto legato, seu hæreditate Mariæ de Aguirre provenientes, & Civium pietas ad alendos 12. Fratres sufficere possent, extorserant a felicitate recordationis Clemente Papa IX. prædecessore nostro specialem Commissionem directam Ordinario Calaguritano, ut constituo sibi de veritate expositorum, petitam licentiam fundandi concederet, prout in literis ipsius Clementis prædecessoris in simili forma Brevis die 24. Septembris 1668. expeditis continetur, & successive narrato, quod in multis Locis Regnorum Hispaniæ novas Domos, & Mo-

Clemens IX.  
commissit Or-  
dinario Cala-  
guritano die  
24. Sep. 1668.  
ut licentiam  
fundandi Con-